ſicca apparuit. *Cavernas* vero, jam aquis plenas S. textus *maria* appellat, cum pergit: *cóngregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum, & appareat arida, & vocavit Deus aridum terram, congregationesque aquarum maria, &c.* Ex quo ſequitur, *duplicem* aquarum ſeparationem contigiſſe; una, cum aqua ab aquis, altera, cum aqua a terra ſepararetur. Probabile autem eſt, & ex poſtfacto ab experientia liquet, aquas, quæ ſe in ductum cavernoſum receperant, & quæ *maria* vocantur, *ſtellaribus* aquis, de quarum elevatione ante hac diximus, longe *craſſiores* & ſalſiores fuiſſe: magnam tamen adhuc harmoniam cum *ſtellarum* & ſiderum proprietate habere. Sed ad *terram* redeamus. Hæc licet jam ob aquarum defluxum atque in cavernas receptum, ſiccior ex hac ſecunda abſtractione, quam ex prima fuerit, valde tamen humidam & *lutoſam* exſtitiſſe, probabile eſt, utpote tanta aquæ mole tamdiu obſeſſa ac penetrata: ſed ob
N. eandem cauſam nullum dubium eſt, eam *fertiliſſimam* exſtitiſſe. Hinc lucis calore
15. multum adjuta, levi negotio, & brevi tempore, varii generis *vegetabilia* proferre potuit, ſubſtantiam nempe humidam applicando & coagulando, qua magna ex parte in *vegetabilia* mutata, reliquæ terræ major *ſiccitas:* abſtracto quaſi ſuo humido radicali, ſequebatur. Et ita terræ, maris & vegetabilium productio, rurſus una globi, & quidem tertia, converſione, facta eſt. Sic enim S. textus habet: *germinet terra herbam*
N. *virentem, & facientem ſemen, &c. & factum eſt veſpere & mane dies tertius, &c.* Cæ-
16. terum ex antedictis patet, terram ex prima *creatione*, diverſi generis exſtitiſſe, ſeque in primo *productionis* actu, cum aqua miſcuiſſe; cum qua poſt primam nubium elevationem in firmamentum attracta, *ſtellis*, ut antehac diximus, ſubjectum & materiam præbuit. Subtilior enim terræ pars & volatilior, cum aquis in firmamentum elevata, *craſſiorem aërem* reddidit, humidiorem nempe & terreſtriorem; cum verò *lucis* ſeu *ignis* primordialis vis, indeſinenter in firmamentum ageret, atque humiditatem ejusdem nonnihil ſiccaret: neceſſum erat, ut partes terreſtriores, nonnulla tamen aquæ portione adhuc permixtæ, denſarentur, & quaſi grumeſcerent, ſeque, proportione reſpectiva ad centrum ſuæ gravitatis, *globoſe* conſtringerent, & coagularent: Unde *ſidera & ſtellæ* ſunt ortæ. Conſequens autem erat, firmamentum ſeu aërem debuiſſe *clariorem* & puriorem reddi, quod ſtellares ſubſtantiæ ſe conglobaſſent, atque in certa loca recepiſſent, atque ita una operatione, & firmamentum Diaphanum eſt factum grumeſcentibus quaſi ejusdem inquinamentis: & ipſa inquinamenta, quaſi feces firmamenti, eidem pro ornamentis erant, ſidera enim & ſtellas, ex ſingulari *terra lucente* & *aqua* conſtare, nemo inficiabitur, qui textum accurate examinabit in Pſalmo: *Et contignas cœnacula ejus ex aquis, &c.* per cœnacula enim ſidera intelligi, communis interpretum opinio eſt. Siderum ergo productio rurſus una globi converſione peracta eſt, nam ſic S. textus ait: *fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos, ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram, &c. & factum eſt veſpere & mane dies quartus &c.* Ex quibus manifeſte liquet, in eum finem ſidera creata eſſe, ut *luccant*, ut diem & noctem diſtinguant; quæ hactenus